Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26465
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sa. aut calida ubi coxus cuminum. aut oximel cum calida. Iuuat eos
cursus et uectatio et stomachum curet. uel oxiporia accipiant plus timan-
tica uel epithimata. cibos utiles leues ex calida aqua accipiant.
interuallo facto. non plus sed parum et catamodicum gluciant. ne sin-
gultum prouocent. **.xiiii. De lingua sicca et aspera.**

De sicca et aspera lingua sermo est quam uisu comprehendimus et tactu. Videmus
aut illam siccam quam tangentes sentimus esse asperam. et quasi papulas (.i. malas nascentias.)
quasdam in ea cernimus atque sentimus. At si encausin passa sit. est rubo-
rata. uel subcinericii coloris. seu liuidi. aut nigri. uel ragadias habere
cernitur. Sicca autem quasi pellicule pergamenarum similis est. In se habet
uulnuscula nec ampliora nec minora. Vnde et uocem eger tardam uel
obscuram reddit. quando os siccum. atque linguam ostendit. Oportet autem
eos collutione oris uti apponentes in mitto aut ante mittum. quod grece
antireon uocatur. Lanas molles intinctas oleo calido dulci. linguam
uero fricamus cum spongia molli et munda et oleo. et aqua calida intin-
cta. Post hoc colluendum est os ex aqua calida. aut ipsum antireon.
aut diamoron medicamento tangito. aut ex rosa sicca cum croco
ex equo trita. et cum melle mixto de penna linito. Cataplasma
ex pane et aqua calida et polline fenugreci et lini seminis ex spon-
gia appone calida. post oleum calidum ore teneant. uel ydroleon.
uel decoctionem fenugreci aquatam mulsam dari conuenit. et liquido
melle cum penicullo fricabis. et lini semine integro in linteo
ligato. et in calido tincto. aut foliis mente uiridis linguam fricabis
et os. Quod si asperitas magna fuit et lingua et os et palatum usta fuint
gargarizent elixaturam rose sicce ad tertiam decoctam. **De diaforeticis.**

Diaforeticos multi cardiacos appellant quos ita cognosces. ut ce-
perint nimiis febribus et acerrimis exagitari. sudorem patiuntur
incongruum. et non creticum. ex equo uehementi periculo urgente. qui
sudor tamquam sintoma appellatur. Nascitur hec causa. aut sinocho.
aut causon. aut sineche. **Cura.**

Cuius signa certissima cum uideris. et nimium sudantem et sine intermissi-
one repperis. hunc curare debebis sic. flebothomabis eum mense
martio maxime. et facies tenere mirtos subtitillis. ne forte cum
flebothomas sudor incurrat. Si uero neglexeris. apoplexia. paralisis.
epilemsia. sinancis eueniunt. constitues eos in pauimento. aut in ta-
sello. aut integestri. Quos aqua frigida roras. et ponis pueros. et
puellas ut cum muscariis flabellent. melius si ex canna uiridi sit.
que assidue in recente intincta prestare possint corpori extuanti
uentum frigidum. et ex guttis humidum rore. hec sine intermissione fieri
iube. Quibus etiam dandum est diacodion mane coclear .i. et sero .i. his et similiter